



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Nona Conclusio. Dæmones cognoscunt secreta, furta, deperdita, & thesauros quæ hominum cognitionem fugiunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

ta illud Ecclesiast. 13. Cor hominis immutat faciem eius: & aliud Matth. A fructibus eorum cognoscetis eos, &c. Ergò multò magis Dæmones, qui maiori naturæ subtilitate sunt præditi.

Nona Conclusio. Dæmones cognoscunt secreta, furtiva, deperdita, & thesauros quæ hominum cognitionem fugiunt.

QVIA cùm sint incorporei, acrimonia sensus, & celeritate motus vigent nec impediuntur interpositione corporum, sed omnia naturalia obiecta perspecta habere possunt. Nullo tamen modo licet homini à Dæmonibus huiusmodi inquirere, vt infrà latius probabitur.

Vndecimum notabile. Artes huiusmodi magicæ & diabolicæ diuidi possunt in diuinatrices & operatrices. Diuinatrices, quarum exercitium maximè versatur in diuinando, secreta reuelando, & responsa accipiendo: Ad quas referre possumus auguria, sortilegia speciatim sumpta, Chiromantia, Spatulamantia, &c. Operatrices, quæ virtute & cooperatione diabolica mirabilia & scelera operantur, vt est Magia propriè dicta, quæ arte diaboli mirabilia ad vanam ostentationem operatur. Ad eandem classem referre possumus incantationem, veneficia amatoria, & maleficorum crimé: quod

Ee cùm

cum omnium pessimum sit, utpote contra salutem humani generis, semper versatur in operatione: Quamvis quidem etiam huius sectæ reperiantur, qui vacent tam diuinatrici, quam operatrici magiæ.

Duodecimum & vltimum notabile. Cum ad maleficorum & sagarum crimen Dei permisso, Dæmonis potestas, & hominis voluntas liberè consentiens concurrant, manifestissimum est maximam huius argumenti cognitionem ad Theologum pertinere. Quis enim quid Deus permittat, quid Dæmon possit, & quæ societas inter hominem & angelum esse queat, cognoscit, nisi Theologus ex sacris literis? De Dei permissione nihil physicus tractat: De diaboli potestate nihil leges ciuiles scribunt: leges humanæ non Dæmonibus, sed hominibus viuendi modum statuunt. At quia maleficorum crimine nocumenta Reipublicæ inferuntur, humana pax læditur, & publica tranquillitas perturbatur, ut ab omni hominum memoria experientia rerum magistra compertum est: iustissimè pœnas leges ciuiles in maleficos & mathematicos decreuerunt. Causarum autem concurrentium, ad tam immane maleficorum crimen, in effectus fluxus, Theologi iudicium requirit, quamvis etiam philosopho suas partes non denegemus in discernendis effectibus veris à falsis & præstigiolis. Atque hæc causa est, quare
Iuris.

Iuris periti tam parum, ut omnibus notum est in commentatione argumenti harum legum præstiterint. Bartolus, Baldus, Salycetus, Angelus & alij copiosissimi in alijs legum titulis extiterunt: de harum ll. materia, aut nihil, aut valdè parum cum Glossæ explicatione scripserunt. Quare nemo miretur me hoc argumētigenus, quod multum in praxi & controuersia hisce infœlicissimis temporibus versatur, ad tractandum suscepisse, qui professione sum Theologus, atque etiam iam longa lectione Theologiæ tantum scientiæ iuris adiunxi, quantum huius materiæ necessitas postulat. Exactiorem iuris cognitionem, in harum legum interpretatione relinquo eis, qui omnem ætatem in Iurisprudencia consumpserunt.

C. DE MALEFICIS ET MATHEMATICIS & cæteris similibus.

LEX I.

Plus est hominem veneno extinguere, quam occidere gladio.

DVPLEX huius Legis sensus esse potest. Prior secundum Gloss. & Bald. Atrocius est venenare, quam occidere gladio, quia

Et 2 venenare